DESSERTATIO MEDICA,

INAUGURALIS,

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

GULIELMI ROBERTSON, S. S. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

FRANCISCUS BALFOUR,

BRITANNUS.

Ad diem 12 Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:

Apud BALFOUR, AULD, et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M, DCC, LXVII.

GULIELMO CULLEN,

INSTITUTIONUM MEDICARUM

IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI,

VIRO OMNI LAUDE MAJORI,

HANC DISSERTATIONEM

D. D. D.

FRANCISCUS BALFOUR.

DISSERTATIO MEDICA

DE

GONORRHOEA VIRULENTA.

DE Gonorrhoea medenda, quam induxit Venus, late inter se discrepant hodierni, et empyrici et dogmatici. Alte alii suas clamitant injectiones, cathartica alii venditant, alii mercurium laudant, alii denique prorsus omnino damnant.

Dum nostram hac in arte peritiam stabilire nitimur, methodus illa, quae historiam gonorrhoeae virulentae, deinde causam medendique viam, ex ordine prosequitur, perapte nobis opusculi hujusce rationem suppeditare videtur. Ars enim est causarum directio, ita ut exinde quaesitus nascatur effectus; huic ergo requiritur causarum notitia, quae demum tantum a phaenomenis quaerenda est.

I. HISTORIA MORBI.

Si de gonorrhoeae facie vel forma ſolummodo ſermo incideret, ſymptomata quotquot adſint recenſere ſufficeret. Aſt dum de cauſa ejus agitur, arteque medendi, quae his vulgo praecedunt et ſuperveniunt, haec haud minus illis dictu ſunt neceſſaria.

Ad priora quod attinet, ſtatum corporis morbo imprimis ſuſcipiendo aptum, non, uti ſaepe in aliis morbis, adhuc in gonorrhoea obſervatio edocuit. Omnibus ſat innotuit *cauſa remota*.

Gonorrhoeam virulentam in viris, quae plerumque hodie praeſentem declarunt, haec ſunt ſymptomata. Humoris cujuſdam ab urethra fluxus, dyſuria, et penis, in ſtatu demiſſo, quaedam fere durities, in erecto, dolorifica deorſum incurvatio; quibus quoque accedunt in urethra inſueta titillatio, ſummae ejus rimae inflammatio, et totius ad veſicam uſque contractio.

Varie per morbi decurſum ſympto-

mata

mata mutantur, aliaque alia excipiunt. Quo eorum ratio facilius capi poſſit, medici vulgo morbum in tria ſtadia dividunt.

Inter ſecundum et duodecimum diem, plerumque autem circiter quartum, poſt admiſſum virus, in urethra, juxta glandem, oritur haud ingrata titillatio; ex hujus ore hiante et inflammato humoris tenuis paululum prodit; et, dum urina redditur, caloris nec non puncturae mitis ſenſus adeſt. Cito humoris fluxus augetur, et fere puriformis exit; puncturae magis acutae ſentiuntur; et totus, praecipue urethra, riget penis. Humor demum vel flavus vel viridis evadit; dolor et ardor in urina reddenda, quae maxime, qua titillatio primum exorta eſt, urgent, ſub finem potiſſimum ferri nequeunt; erectioneſque dolorificae modo dictae, nocte praeſertim, miſere vexant.

Dum haec ſymptomata per varios incrementi gradus tranſeunt, ut plurimum una tantum vel altera abit hebdomada,

et dein, albeſcente humore, omnia miteſcunt.

Brevi tandem, praeter humorem viſcidum, inſtar fili ductilem, et magis albidum, nil morbi reſtat; et hic ſenſim minuitur donec omnino exareſcit.

Hic concurſus ſymptomatum maxime frequens, hic denique eorum progreſſus. Minime autem ſemper omnia adſunt; aliquando enim abeſt erectio incurvata, aliquando, licet rarius, dyſuria. Nec, ſi adſunt omnia, progrediendi rationem mutari neſciam ſibi adſciſcunt; alias etenim primo ſe fluxus oſtendit; alias dyſuria; alias, poſt dyſuriam, per menſes adhuc vexat erectio incurvata; aliaſque, poſt omnia, ſolus reſtat urinae ardor.

Praeter jam memorata, quae ſequuntur ſymptomata, licet rarius, aliquando tamen, occurrunt; ſcilicet, ſtranguria, iſchuria, incontinentia urinae, ſanguis cum humore miſtus, tumor perinaei, teſtium, inguinum; dolor lumborum, phymoſis, paraphymoſis, ulcera praeputii et glandis, verrucae, bullaeque cryſtallinae.

ſtallinae. Haec cuncta cum primo concurſus communis ſtadio nexum certum habere videntur; et quidem tunc toties adſunt phymoſis, paraphymoſis, tumorque teſtium, ut inter rariora, renunciaſſe vix forte oportebat. Tumor teſtium, effluxum ſubito ſuppreſſum ut plurimum ſequitur, qui iterum redit, reſoluto tumore. Nullo vero morbi ſtadio non apparet hujuſmodi tumor, ſi modo nimium biberit, ederit, vel ſe exercuerit aeger.

QUALIACUNQUE primum urgente morbo ſymptomata adfuerunt, qualiſcunque demum progreſſus ratio, ſaepe poſt multos annos, praeſertim ſi ultra duas vel tres menſes perſtiterit morbus, fluxus omnino innocuus manare pergit. Quandoque tamen huic fluxui, quandoque etiam iis qui per plures annos poſt morbum nil conqueſti ſunt, dyſuria, iſchuria, et ſtranguria tandem ſuperveniunt; et tum quoque interdum, ſicut in gonorrhoea recenti, in ulcera perinaei et urethrae poſtremo abeunt. Praeterea, ſanguinis

guinis in coitu ab urethra effuſio *; fluxus ſeminis ſtillatitius †; ſemen in congreſſu ejiciendi obſtructio ‡; nodique corporum cavernoſorum ‖, ſupereſſe dicuntur.

Insuper, ut hiſtoria perfecta et abſoluta proveniret, omnia quae edocuit cadaverum inſpectio pericula et praxis, uti multum ad morbi cauſam exponendum facientia, hic referre conveniret; at, cum poſtea de his dicendi erit occaſio, ea hic loci omittimus.

II. CAUSA MORBI.

Quum curationi ſymptomatum, quae gonorrhoeae rarius adveniunt, quaeve ſuperſunt, plurima proſpicere vetant, ab re foret hic de eorum cauſis diſſerere.

Quo

* Sauvages noſ meth. t. 3. part 2. p. 49. Hildanus, p. 1030.

† Sauvages noſ. meth. tom. 3. part 2. p. 216.

‡ Memoires de l'Academie royal de chirurg. t. 1. p. 426. 430. 437. 438.

‖ Ibid. p. 429.

Quo clarius eluceſcat corporis ſtatus communi ſymptomatum concurſui ortum praebens, ad virus contagioſum, morbi cauſam remotam, ſtatim decurrimus. Quoniam autem adeo latent ejus dotes peculiares, ut aliquem affectum, ad haec ſymptomata producenda aptum, exinde nequaquam inferre liceat, ad alias eum detegendi vias noſmet conferamus. Prius autem morbi ſedem poſuiſſe conveniet.

Bartholini diebus, proſtatam unicam gonorrhoeae ſedem ſtatuiſſe videntur medici; cum, quia forte non niſi in morbis diuturnis cadavera ſecandi erat occaſio, tum, quia forſan de eo quodammodo perſuaſi, ſtructurae varietates pro morbis habebant. Recentioribus vero demonſtravit autopſia, proſtatas *, veſiculas ſeminales †, et Cowperi glandulas ‡, perraro

* Morgagn. epiſt. 44. art. 16.

† Ibid. art. 25.

‡ Ibid. art. 11.

Non ideo nego in longis forte et corruptis morbis etiam glandulas Cowperi, aut demum proſtatam, corruptas eſſe. Veſicularum morbum rariorem eſſe perſuadeor; nec facile crediderim

perraro morbo laborare; et longe aliam gonorrhoeam ſedem habere, a ſymptomatum conſpectu concludere licet. Plenius autem ab experimentis ſequendis confirmatur ſententia.

Si ſuper urethram, ab ore ejus duas treſve pollices, compreſſio fiat, et tempus idoneum humore colligendo concedatur, tum expreſſo omni humore qui ſub parte compreſſa colligebatur, compreſſioneque ipſa remota, nihil omnino ex parte ſuperiore poſtea exprimere poſſumus.

Injectiones etiam, haud ultra tres pollices in urethram compulſae, cito fluxum omnino ſiſtunt.

His ſi accedant ea quae cadaverum ſectione mox recenſenda commonſtrata ſunt, morbum prope urethrae rimam ſitum ſuum habere, nil erit cur dubitemus. Et hic parum ab re alienum fore duxi, notare, fluxus ſede jam explorata, exinde naſci ab omnibus aliis diagnoſin certam et

crediderim in iis, inve proſtatis, ſedem eſſe primigeniae corruptionis, etſi longo malo ſeriorem ſupervenire non recuſo; ſed neque de glandulis Cowperi vera experimenta extare credo. Hall. Elem. Phyſiol. t. 7 p 477.

et obviam; et quoque illi, vel a ſymptomatibus, vel ab humore inſpecto oriundae, anteponendam. Quicunque tamen, muci ſtillicidio, *Gleet* vulgo dicto, laborant, quive nuper curati fuerunt, eos, ſi quid ullo modo exceſſerint, gonorrhoeae recentis ſymptomata cuncta aliquando occupant; et ab his forte tantum dignoſcenda ſunt, ex eo quod protinus poſt intemperantiam cito apparuere, vel quod fluxus contagio ſit ineptus.

QUANQUAM ex his expoſitis quaenam ſit origo fluxus ſatis conſtet; an autem ab ulcere, vel a lacunis mucoſis emanet humor, adhuc ſub judice lis eſt. A ſpecie humoris puriformi, et a fide nimis adhibita iis quae de carunculis et forte de cicatricibus tradita ſunt, praeſertim pro ulceribus contenditur. Dum vero prior hypotheſis analogiae phaenomeniſque, et in vivis, et in mortuis, quam optime congruit, poſterior vero his ſolum nititur quae nequaquam pro compertis haberi poſſunt, illi ſolummodo fidendum eſt.

HUMOREM puris aemulum a vaſis mucoſis prope urethram profluere poſſe, ex eo colligitur, quod alias et in urethra accidere ſolet, et in aliis corporis partibus.

SI turunda enim in urethram ſanam ſit immiſſa per tres, quatuor, quinque, vel ſex horas, a materie quadam puriformi, ex hiſce certe lacunis tantum orta, operta exit *.

HUMOREM haud abſimilem in gonorrhoea ſpuria, vaſa etiam quae circa glandem ſunt ſine ulcere effundunt.

CONSIMILIS eſt quoque in ophthalmiis quibuſdam fluxus, inflammatis ſolum palpebris †.

CONSIMILIS denique in corryza, catarrho, et fluore albo, excernitur humor; nec tamen ſuſpicantur ulcera.

HINC itaque intelligitur ejuſmodi humoris fluxui minime requiri ulcus. Rite vero perpenſis cunctis morbi phaenomenis, ulla alia quam muci vitiati hypotheſis, ſponte, ut opinor, corruit.

EXINDE

* Sharp. Crit. inquiry, p. 142.

† Gataker's Eſſays, p. 97.

EXINDE enim tantum perſpicere licet, cur humoris profluvium ardor urinae non protinus excipiat; ſi enim ab ulcere manaſſet hicce humor, nequaquam dyſuria poſt profluvium comparuiſſet.

DUM erigitur penis, mucus iſte pellucidus, qui ſanitate videri ſolet, penitus evaneſcit; unde colligitur vaſa illa, quibus olim erat opus mucum hunc purum ejicere, humorem, qui nunc apparet, corruptum, evomendo occupari.

HANC quoque ſententiam maxime declarat humoris quantitas; nullum etenim ulcus hic loci, vel maximum, tantum puris ſuppeditare poteſt.

FLUXUS quod ad formam et colorem ſubito mutatus, et ejus quandoque repentina retentio, praeſertim ſi teſtes tumuerint, aeque ulceribus repugnant; dum alterae hypotheſi ex omni analogia omnino congruunt.

HIS cum adjiciatur Clar. SENAC, ex periculis factis, fluxus materiem a pure ulceris ex toto diverſam inveniſſe *, de hac re longius dubitare non oportet.

SI

* Morgagni Epiſt. 44. art. 2.

Si modo reputemus litem hancce de gonorrhoeae vera ſede non niſi nuper fuiſſe agitatam, et perraro occaſionem eſſe oblatam cadavera ſecandi; et demum poſſe ex vaſis, ad oculum haud mutatis, humorem corruptum provenire; erit in proclivi, cur plures ſectiones, quae noſtram ſententiam directe firmant, non extent. Nec tamen omnino deſunt. Caſus enim circiter, puto, duodecim qui ad rem plurimum faciunt, tradidit nobis Clar. Morgagnus. Pleriſque, vel omnes, vel ſaltem aliqui, canaliculorum ejus deleti fuere. In duobus vel tribus, humor quidam et rubedo illos affectos clare denunciavit, et in pari numero praeter naturam nil erat. Unde ſcire eſt, hos, uti ante monuimus, ad ſpeciem immutatos morbo nihilominus laborare poſſe. Neque tantum hae ſectiones originem fluxus ab ulcere nequaquam repetendam eſſe probare tendunt; ſed et etiam canaliculos hoſce, quos ipſe Morgagnus detexit, fluxum potiſſimum ſuppeditare demonſtrare videntur.

In theoria ulcerum plenius conſectanda, percipimus vix unquam in cadaverum ſectionibus aliquid ulceri *, vel carunculae †, ſimile inventum eſſe; adeoque argumenta quibus potiſſimum inniſos fuiſſe videntur ulcerum fautores penitus fere evaneſcunt. At quanquam poſt gonorrhoeam unamquamque carunculas ſupereſſe conſtaret, ulcera praegreſſa neutiquam exinde inferre liceret; nam a balano ulceribus prorſus vacuo tales carunculae indies creſcunt.

Porro, quo magis fiat fides ulceribus, pro

* Nempe hoc ipſum erat ex iis unum quae ipſe quoque mihi non occurriſſe mirabar, praeſertim cum toties ejuſmodi aegrorum querelas audiverim de acerbo dolore ibi inſigniter torquente; Morgagni Epiſt. 42. art. 8.

† Quae cum ita ſunt, minus, ut puto, miraberis, ſi cum tot urethras ex quo anatomes ſtudio me dedi attente inſpexerim, et quotannis adhuc inſpiciam, vix unam dixero certam mihi eſſe in ea obſervationem carneae excreſcentiae, cum plures ſunt cicatricum et coarctationum; neque illa una non ſine his fuerat; Morgagn. Epiſt. 42. art. 38.

Aſt Saviardus, et clariſſimus chirurgus Monſpelienſis J. Serres, diſſecto pene, aliquot aegrorum qui de eo morbo conqueſti erant, nil ſimile invenerunt, (carunculae ſcil.), et tantum urethram phlogoſi alicubi tentatam, &c.; Sauvages noſ. method. Tom. 3. part. 2. p. 198.

pro argumento adducuntur cicatrices; nec inficior aliquando eas extare poſſe: Et huc imprimis facit quod de iis edocuit Ill. MORGAGNUS. In horum cadaverum circiter ſex quibus ſuos canaliculos deletos reperit, albidas necnon lineas inter eos obſervavit, et iſtos pro ulcerum reliquiis ſubinde habebat. Annon autem ulcera praegreſſa clare vel neceſſario denuncient haecce lineae, multum haererem. Fac tamen ita ſe rem habere, ex jam expoſitis, ſat omnibus in promptu erit colligere, haec nequaquam pro primo fluxus fonte eſſe habenda. Tum demum quod ſpectat ad cicatrices, ulcera, et caruncu-las, apud proſtatas, veſiculas ſeminales, vel COWPERI glandulas compertas, quum caſus hi ſunt minus ſoliti, doctrinam modo relatam parum afficiunt.

HIS de morbi *ſede* praemiſſis, reliquum eſt ut *naturam* ejus, quantum poteſt, exponere coner.

AUCTORES qui de gonorrhoea ſcripſere ſymptomata omnia, ſine ullo diſcrimine, per primum horum ſtadium, inflam-

inflammationem indicare, pro conceſſo ſumpſiſſe videntur; et hanc inflammationem a viro, in urethra latente, ad *acmen* uſque excitari credunt. Diligenter autem verſata morbi hiſtoria, longe alia de ea re ſententia animum ſubit. Tametſi enim *humoris fluxum parcum, tenuem, et clarum*, inflammationis ſignum eſſe fatemur; vero tamen cum jam copia majore profluerit, et albuerit, inflammationem abeſſe, et vaſa quodammodo laxari, plane declaratur. Dictis fidem faciunt inflammationes vaſorum mucoſorum in aliis corporis partibus. In catarrho, v. g. et corryza, paululum initio muci tenuis et pellucidi exit; quamprimum vero vaſorum phlogoſis ſecedere inceperit, dein protinus materies viſcida et magis albida libere emanat.

Vellicatio illa et dyſuria, quae ſentiuntur antequam fluxus augetur et colore mutatur, ab inflammatione a viro excitata pendere haud recuſo; et huic item addo, mucum nimis tenuem dilapſum effluentemque eas quas munire debet

fibras

fibras deſtituere; at poſtea cum magis offenderit urina, id, ut alii faciunt, phlogoſi, a viro adhuc ſuperſtite auctae, haud aſſignare vellem. Et ex eo omnino deducerem, quod fiſtula hoc loco ſenſiliſſima, muco naturali deſtituta, et jam inflammata, urinae nimis acri, calidae, et velociter perfluenti, nuda, eheu! exponitur. Confirmari mihi haec hypotheſis videtur, cum conſidero, dyſuriam ſaepe ſine viro oriri; vix fieri poſſe, ut poſtea oſtendere conabimur, quin virus cito evacuetur; et injectionem denique adſtringentem dyſuriam pro tempore minuere, quod certe ex vaſis adeo mutatis fit, ut mucum fere naturalem aliquantulum ſecernant, donec tandem in priorem ſtatum relabuntur.

STIMULUS urinae ſaepius iteratus inflammationem auget; ex qua tandem exoriri videntur *erectio incurvata et penis durities.*

SUPERIUS, quando de gonorrhoeae cauſa remota mentio a nobis facta eſt, ignorantiam de hac ſeorſim conſiderata faſſi, ſicco

ſicco eam tranſivimus pede. Nunc vero explorato effectu qui exinde in corpore fit, luminis aliquid, quo natura ejus melius perſpiciatur, adferre convenit, in qua re perficienda eo ſtudioſius incumbere oportet, cum, ad rationem medendi expediendam, tantum inde conferri poſſe pateat.

QUOD ad veram contagii indolem ſpectat, vix videtur eam unquam rite medicis innotuiſſe. Morbum quidem venereum in topicum et generalem dividunt, et gonorrhoeam ad topicum referunt; ſed virus in utroque ejuſdem eſſe indolis putant; idque in gonorrhoea ſtatim ad morbi ſedem, intacto ſanguine, deferri contendunt. An vero res ita ſeſe habeat, multum dubito. Nonne potius ſuſpicandum eſt, longe diverſam eſſe materiam quae luem parit ab ea ex qua gonorrhoea efficitur? Nec quidem temere in eam ſententiam abiiſſe is mihi videbitur, qui ſecum reputaverit neminem gonorrhoea tantummodo laborantem confir-

matam luem propagare poſſe *; gonorrhoeam non a mercurio tolli, et rariſſime in luem commutari †; luem contra non in gonorrhoeam verti ‡; et denique gonorrhoeam non niſi triginta vel quadraginta ‖ annos poſt luem in Europa fuiſſe obſervatam, et nuperrime tantum apud Sinenſes §.

VIA qua virus venereum ad morbi ſedem defertur non adeo in obſcuro eſt; et quidem ſtatim in urethram adſcendere videtur, ubi cum muco coiens, et per tempus definitum retentus, muci tantam demum quantitatem vitiat, ut morbum producere valeat. Forte quidem in dubium vocari poteſt, num mucus in lacunis, ex quibus fluxus promanat, eodem tempore ſimiliter vitietur; numve potius lacunae hae, inflammata tantum urethra, afficiantur: Sed diſputatio haecce ad medendi rationem parum confert.

GRAVIOR tamen quaeſtio occurrit de tempore

* Boerhaave de lue venerea, p. 73.

† Aſtruc, tom. 1. p. 441. ‡ Aſtruc.

‖ Ibid. lib. 1. cap. 13.

§ Ibid. Diſſert. apud finem, tom. 1. p. 560.

tempore quod requiritur ad ejiciendum virus; ſed nulla adhuc, quod ſcio, ſuper hac re experimenta capta ſunt. Si judicium a priori proferre liceat, multo citius, ut mihi videtur, eliminatur virus quam vulgo putatum eſt; nam quamvis mucus in initio tarde ita excernitur, ut aſſimilationi tempus concedatur; tamen poſtea, incepto fluxu, breve adeo manet in excretoriis et urethra, ut nihil aſſimilari queat, dum id quod jam vitiatum eſt, quodque ad latera lacunarum et urethrae adhæſit, paulo poſt penitus abluitur.

III. METHODUS MEDENDI.

Auctores, qui de medela gonorrhoeae ſcripſere, prima morbi indicia vix ante oculos habuere; et quum omnes crediderunt fluxum gravioribus ſymptomatis urgentibus impeditum, exitum per luem omnino habiturum, morbi levamen tantummodo quaeſivere, neque adſtringentia in auxilium vocare auſi ſunt.

Quoniam

Quoniam autem jam monſtrare conati ſumus, virus, dum morbus primum explet ſtadium, priuſquam ſcilicet fluxus puriformis exeat, inflammationem excitare moliri, quae, vaſa adeo mutando ut mucum idoneum ſecernere nequeant, ſymptomatibus gravioribus viam pandit; dein, ſemel incepto fluxu puriformi, ut virus foras ejiciatur neceſſum eſſe; denique dyſuriam a defectu muci naturalis qui urethram muniret omnino fere oriri; ſequentem nos medendi methodum rite inſtituere poſſe exiſtimamus.

1. INFLAMMATIONI obviam ire priuſquam fluxus evaſerit puriformis.

2. CUM fluxus puriformis evaſerit, robur priſtinum vaſis reddere.

3. SYMPTOMATIBUS, quae interea urgent, levamen praebere.

1. INFLAMMATIONI, quoniam exoritur ab actione ſtimuli in fibram motricem, obviam ire poſſumus, vel ſtimulum removendo, vel irritabilitatem minuendo.

MEDICUS

MEDICUS celeb. FORDYCE, cum ab experimentis in mucum corporis humani captis compertum habuerat, alkali cauſticum in aqua ſolutum facultate eum ſolvendi gaudere, exinde primus inter omnes ad feliciſſimam virus eliminandi rationem, et mea ſaltem mente optimam gonorrhoeae curandae methodum, perductus erat. Eventum ab experimentis promiſſum obſervandi cito ſe occaſio obtulit; ſub morbi enim initio, ejuſmodi ſolutione in urethram injecta, atque praeputio et glande cum ea lavatis, morbo immunis omnino evaſit aeger. Tentamine ſaepius repetito, idem fuit exitus; nec praxis, ſi rite fuit inſtituta, eum adhuc fefellit *. A medicis rerum novarum minime cupidis objici poteſt, contagii accepti nullum in his caſibus certum adfuiſſe indicium; ſin autem probari poteſt, vel unum hominem pro certo ab injectione fuiſſe curatum, uſus ejus ſatis comprobatur, et omni gonorrhoeae hoc modo occurri poſſe probabile efficitur.

* Diſſert. inaugural. de Catarrho.

efficitur. Talem caſum autem mihi renunciavit ingenioſ. juvenis JACOBUS BLAIR. Ipſe paululum humoris ab urethra nuper infecti abſumpſit, et urethrae ſani impoſuit; circa diem quartum poſt, periculo ſubjectus, omnia ſymptomata morbi advenientis obſervabat; tunc, protinus injecta ſolutione alkalina, evacuatio muci magna fuit, nec amplius conqueſtus eſt, niſi quod aliquid humoris per unum vel alterum diem ex urethra proveniret. Idem, juvenis morbo a coitu accepto, ſaepius eodem modo occucurrit.

IN aliarum corporis partium inflammationibus miſſio ſanguinis non tantum irritabilitatem minuere, ſed etiam ſanguinis ſtimulum, dum gyrum per vaſa abſolvit, removere apprime conducit. Quando vero in gonorrhoea tantum adeſt concurſus ſymptomatum communis, de hac praxi cur dubitarem paucis exponam. Nonne plerumque invenitur, quantitatem ſanguinis vulgo detractam ad erectiones minus frequentes reddendas haud ſufficere? Quum penis erectio a vaſorum irritabi-

litate

litate multum pendeat, nec tamen a ſanguine miſſo minuatur; quumque eadem irritabilitas ad inflammationem plurimum conferat; nonne etiam dubitandum eſt, num inflammatio in gonorrhoea ullo modo ſanguinis miſſione mediocri praecavenda ſit vel minuenda? Nonne erectio evacuationi cito ſuperveniens illam omnino irritam facit? Et nonne multo melius ad alia confugitur, quam tantae ſanguinis effuſioni, quantae ad erectiones praecavendas requiritur? Ego quidem ter vel quater, tres ſaltem libras ſanguinis nullo levamine detraxi, licet interea aegri ſobrie vixerint, et cathartica lenia aliquot adhibita fuerint. At graviori auctoritati cedat mea theoria et obſervatio. Si, quando dolor et tumor magnopere urgeant, tunc ſanguis libere detrahendus, et hirudines parti ſunt applicandae: Sed haec inter rariora ſymptomata duco; et de iis hic tantum obiter. Denique, cum praecipuam inflammationi obviam eundi viam in eliminando viro ponamus, alia, de quibus alioquin, dum de irritabilitate minuenda dicebamus,

dicebamus, ſermo fuiſſet, nunc licet ſicco tranſire pede.

QUANDO fluxus puriformis evadit, ſecundae noſtrae indicationis ratio habenda eſt. In hoc morbi ſtadio ſolutio alkalina ad ſymptomata debellanda haud amplius conducit *; quod, ut id in tranſcurſu moneamus, ſententiam noſtram jam traditam magis firmat, ſymptomata, nempe, a viro originem ſuam nequaquam ducere; aliter enim, hoc tempore aeque ac initio, exinde curari debuiſſent. Priuſquam autem ad alias medendi rationes noſmet conferamus, quo certius fiat viri eliminatio, in hoc etiam morbi ſtadio, injectione alkalina ſemel uti vellem. Urethra vero muco exſpoliata, et magis inflammata, eo injectio dilutior eſſe debet. Quum omnia ſymptomata quae nunc adſunt a vaſorum laxitate pendeant, et quum, quo diutius fluxus perſtiterit, eo magis ſit ſtillicidii periculum, *vaſis antiquum robur reddere* ſumma ope niti debemus. In hunc ſcopum diverſa quam pluri-

* Fordyce Differt. inaugural. de catarrho.

plurima remedia diverſis temporibus uſurpata ſunt. Omnia autem cedunt quibuſdam in urethram injectis, quorum quae maxime uſu comprobata ſunt, ex mercurio plerumque, vel zinco, vel plumbo, parantur.

Cum prioribus indicationibus occurritur, quae interea urgent ſymptomata leniri requirunt. Dyſuriae eadem remedia omni morbi ſtadio proſunt; et imprimis oleum olivarum ſaepius in urethram injicere convenit, quod muci naturalis vicem quodammodo ſupplet. Ill. Morgagnus *, quum de dolore qui mictionem in gonorrhoea comitatur maximas querimonias audiviſſet, hoc ſymptomate affectos in vitream matellam, tepido lacte ſemiplenam, demittere penem docuit; et cum dolorem eo fotu pauliſper mitigaſſent, tunc, intra ipſum lac ſervato pene, urinam ſenſim et ſine conatu emittere. Fuerunt, ut idem ill. auctor addit, quibus, cum pro lacte oleum forte eſſet ad manus, ex lini ſeminibus recens ex-

* Epiſt. 44. art. 8.

preſſum, hoc uti placuit. Magnum utrique inde levamen ſe retuliſſe confirmavere; hi alteri etiam addidere, cum tumidum eſſet dolenſque praeputium, eo modo ſervato, intra unum haud amplius diem praeputii dolorem tumoremque abiiſſe.

Ut ſenſus urethrae minuatur, a quibuſdam, laudibus afficitur ſal nitrum; et huic illud ſufficere doſi ſatis magna, quam pauciſſimi ferre queunt, nil dubito; parva autem doſi, qua diureticum tantum agere, credo.

Ante omnia acrimoniae urinae occurrere conducit; et huic voto reſpondent liquores omnes blandi, qui facile per renes tranſeunt; tales ſunt ſerum lactis, emulſio Arabica, infuſum althaeae et lini; quod ſi ſatis libere fuiſſet exhauſtum, urinae ardorem exinde minutum, et mictionem liberam redditam, nunquam non vidi.

Quod ad erectiones ſpectat, ſi modo iis occurrere poſſumus, non ſolum dolori obviam itur, qui protinus originem ab urethra diſtenſa trahit, ſed et etiam inflammationi

flammationi quae exinde conſequi poteſt: Omni ope igitur nitendum eſt, ut id perficere valeamus. In hunc finem quamplurimum conducere compertum eſt, penem deorſum religare; hinc tamen non omnino votis ſatisfactum. Ab erectione quidem valida praecavetur; ſed diſtenſio plus minus continua per noctem plerumque adeſt, adeo ut ſemper fere rumpat ſomnum, et urethrae inflammationem augeat. Quando ita ſe res habet, ad narcotica confugiendum.

FINIS.